Lib. XXIV. Tit. I.

De Donationibus inter Virum & Uxorem.

§. 1. *Prohibentur* tantùm *donare*
(non aliàs contrahere absque fraude)
Perſonæ etiam *Mediatæ*, v.g. Socer genero, nurui, & contra.
Conſoceri poteſtatici conjugum ſibi mutuò.
Conſubpoteſtaticus mariti uxori.
Immediatæ, (non Sponſus Sponſæ, niſi de præſenti: Nec Concubinæ)
ſed Maritus uxori, & contra.
Si injuſtæ uxori donetur, valet initiò, ſed reſcinditur poſtea.

§. 2. *Donatio facta ipſo jure eſt nulla*,
E. Transfert
non *dominium*: hinc vindicari poteſt imò condici, ſi donatarius factus inde locupletior tempore litis.
ſed donatario refundendæ impenſæ in rem factæ;
ſed *poſſeßionem*
vel *injuſtam*, ſi damno alterius altera pars locupletetur: hinc nulla uſucapio.
vel *juſtam*, ſi neutrum illorum. Hinc
1. donatario fructus induſtriales percepti cedunt.
2. Uſucapio procedit.